

magnes ad primulum vegeti ac generosi Magnetis odorem exul-  
tat; subindeque adrepat, quasi præ reuerentia pronus, ad potentio-  
rem; tum lege naturalis amicitiae velut stimulo alte indito actus  
affilit, jungitque se illi, haustus aude Spiritus congeneos purissi-  
mos, copiosissimos è suo fonte. Pari modo Philosophia hæc sacra,  
dilectrix quidem sapientiae, vt nomine ipso suo præfert; rudis ta-  
men de se ac jejuna, donis videlicet ipsis vacua sapientiae, adulat  
impetu illo suo, quem dixi, Amoris & Reuerentiae, ad Te: quippe  
illustriorem in Te nacta Sapientiam, reueretur quam suspicit; & im-  
pensius amat, cui se deuouet. Talem, inquam, illa in Te Sapientiam  
colit, & miratur amantius; qualem nouit, noruntque omnes eam esse,  
quæ suæ in primis Tibi moderationis characterem sic impressit; vt  
humanitate facillimum, suauitate morum, atque ipsa indole natia  
spectatissimum; insignem prudentia; modestia singularem; à pri-  
mis etiam annis toti orbi mirabilem ostentauerit: eademque Te stu-  
diosum Antiquitatis, & scientissimum omnis doctrinae, atque lingua-  
rum, exhibuerit [Iurisprudentiae Magistrum] ea ætate, qua ceteri  
gloriantur obtento vix nomine [candidati]. Sic nimirum Te præcel-  
lentis ingenij præmatura vis, & ætate major plenior doctrina,  
quam annis fecit: vt contentionis labor assiduus videretur in Te cele-  
ritate ingenij haud indigere; sicut neque studio magnitudo ingenij;  
cum tamen sic vtrunque coniunxeris, vt non satis liqueret vtro no-  
mine fores admirabilior. Magnorum scilicet hominum initia ipsa  
sunt magna; & suorum illi quorumlibet præclare factorum vel inde  
sumunt exordia, vbi suorum similibus solent alij quibus fastigia po-  
nere. Id vero de Te facile contestantur. **PRÆSVL SAPIENTIS-**  
**SIME**, libri à Te (sapientia ætatem longe prægressa) conscripti plu-  
rimi, atque editi doctissimi: hinc enim celeberrimæ quæque Bi-  
bliothecæ passim fulgent eximio Tuo de summis, qui in Gallia se-  
derunt, Pontificibus, Libro; etiamque Tuis acuratissimis æque ac  
doctissimis obseruationibus hinc in Epistolas Innocentij tertij, hinc  
& in Pselli synopsis legum, itidem à Te versam in Latinum: &  
pari modo illustrantur præclara Tua Gallicanæ Ecclesiae historia  
ab initio Euangelij per Gallias prædicati, perducta usque ad pacem  
Ecclesiae redditam: aliisque tuis ditescent operibus, quæ sola fere  
( præter ea, quæ omnes Eruditi expectant edenda ) possent non  
ignobilem complere Bibliothecam: sed vberiorum habes Tu le-  
ctissimam numerosissimam; licet potius viam spirantemque Tibi  
amplissimam suppeditet natium insigne munus memoriae tena-  
cissimæ ac præsentissimæ, cuius Te foeliciter thesauro beavit Natura  
ipsa, Tuæ videlicet consona Sapientiae. Eadem porro Te Sapientia  
per varios deductum gradus præclaros dignitatum, fecit acerrim-  
um oculatissimum Rei tum Regiæ, tum Publicæ gerendæ Ad-

ministrum: